

# **Viro clarissimo I. Iacobo B\*\*\* s.p.d. I. L. Valsechius**

Autor(en): **Valsechius, J.L.**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 19

PDF erstellt am: **22.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394678>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Viro Clarissimo

J. JACOBO B\*\*\*

S. P. D.

J. L. VALSECHIUS.

**P**romiseram tibi, Turicum vestrum relinques, literas ad te dare, quamprimum Mediolani advenissem; cohiberunt autem propositum meum varia negotia, quæ statim in adventu meo omne, quod Musis consecrare constitueram, tempus absulerunt, nunc autem te salvum esse, meque feliciter montes ingentes incolumem superasse gaudeo. Expectas autem Vir eruditissime! ut quæ heic loci in Republica literaria gerantur tibi significem. Tumultum aliquem, vel seditionem apud plurimos haud ita pridem suscitavit vir doctiss. ANSALDUS, producta in medium Sententia de Gallo Gallinaceo Hierosolymis in ædibus Pontificis a Petro auditio, en titulum libri, *CASTI INNOCENTIS ANSALDI, Ordinis Prædicatorum, de forensi Judæorum Buccina commentarius, Brixiae CXXIV.* forma quarta, pl. 20. In ampio hoc commentario Vir doctus id agit, ut probet Apostolum Petrum non Gallinaceum, sed Buccinam forensem Judæorum, Synedrium ad Judicium de Christo ferendum convocantem audivisse. Vix autem credes, Vir Clarissime! quantos clamores, injurias, atque tumultus apud Monachos, superstitiones præsertim & Criticæ ignaros nova hæc assertio per totam Italiam

liam suscitaverit, transiit autem hæc sententia ex Helvetia vestra in Italiam, primus enim, qui eam Orbi erudito exhibuit fuit Cl. *ALTMANNUS*, *Biblioth. Bremens. Tom. V.* p. 451. Nec certe hac in re antecessorem suum dissimulavit *Ansaldo*, satetur enim p. 34. se hujus explicationis auctorem non esse, verba ejus hæc sunt. *Facem mihi hac in interpretatione fateor ALTMANNUM prætulisse;* Utitur etiam ad Sententiam suam firmandam iisdem argumentis *Ansaldo*, quæ ad rem suam probandam produxerat *Altmannus*, atque hac in re minori certe utitur sinceritate *Ansaldo*, quia hæc omnia tanquam ex proprio armamentario exhibita, lectori tradit. Cum autem totum hunc commentarium legisset, dolebam vehementer *Ansaldo* posteriorem illam *Altmanni* exercitationem, in qua prolixius hanc suam Sententiam adversus criminationes & objections quorundam ἀντιλεγόντων firmavit & defendit non vidisse, & quæ comparuit *Temp. Helvet. Tom. IV.* p. 1. Significavi etiam amico cuidam *Analdi*, extare in hanc rem prolixiorem *Altmanni* exercitationem, ex qua plurima ad rem suam haurire potuisset: Ut autem tibi constet, qua ratione in hac re versatus fuerit *Ansaldo*, dabo tibi aliquem totius operis conspectum, ut videas, quid de hoc opere sentendum sit, in quo quæ *Altmannus* de Buccinatore stationario Romano in aula Pontificis a Petro auditio asseruit, *Ansaldo* ad Buccinatorem Judæorum forensem transtulit, quam feliciter autem id factum sit, tuum erit judicare.

Primo quidem id agit *Ansaldo* in limine operis, ut doceat quæ fuerit origo buccinæ forensis apud

*Tom. V.*

Gg

Judæ-


Judæos, illamque ad tempora Judæorum in deserto agentium refert, atque post hæc ostendit, buccinæ usum ad publicos conventus convocandos, obtinuisse tempore Judicum & Regum Judæorum, atque perpetuo conservatum usque ad posteriorem & ultimam hujus gentis ætatem; originem vero buccinæ ad conventum Judæorum convocandum petit Vir Doctus a Græcis, ejusque usum in Democratiis Græcorum egregie exponit, in hac vero assertione, multorum Judicio deceptum fuisse Virum doctum, plurimi afferunt, cum buccinæ usus apud Hebræos longe fuerit antiquior, quam apud Græcos, quis enim nobis exponet, quis fuerit usus buccinæ apud Græcos eo tempore, quo jam recepta fuerat tempore Judæorum in deserto agentium. Ex hac Judæorum consuetudine Verba Christi & Apostolorum de tuba qua homines ad Judicium universale convocandi sint explicat, atque locum de Gallicinio Petro auditio exponit; His jam de usu generali Buccinæ apud Judæos præmissis in toto reliquo commentario id tantum agit *Ansaldo*, ut ostendat, errasse hactenus interpres omnes, inter quos præsertim nominat *Relandum*, *Bochartum*, *Scaligerum* & imprimis *Altmannum*, qui tam infeliciter in hoc loco Evangelistarum explicando versati fuerint; ad alteram post hæc commentarii sui partem procedit *Ansaldo*, in qua ingenti argumentorum & testimoniiorum acervo probat, Vocem græcam Ἀλέκτωρ, quæ hactenus per gallum gallinaceum fuit exhibita, buccinatorem denotare, primusque in hoc agmine comparet *Lycophron* & *Æschilus*, quorum testimoniosis ad rem iuam probandam utitur, his succedunt *Polianus* & *Athenæus*, ex quibus certe

com.

commoda testimonia producit, quæ nobis fidem certam faciunt, & milites & tubicines vocatos fuisse *Αλεκτορας*, atque eximio loco firmat, Demadem, celebrem Atheniensium Oratorem *Gallum* dictum fuisse, his atque plurimis aliis testimoniis docet *Ansaldo*, rem esse firmam atque extra omnem dubitationem positam, quod Sanctus Apostolus non gallinaceum, sed Buccinatorem *Judæum*, Judæos ad publicum de Christo judicium ferendum cogentem audiverit; In hoc autem asserto parum fundamenti habere, quidam afferunt, cum ex Constitutionibus Judaicis constet, apud Judæos licitum non fuisse tempore festi Synedrium convocare ad publicum Judicium ferendum in causa capitali cum de vita & sanguine esset quæstio, convenisse euidem eo tempore plurima Synedrii membra in aula Pontificis certum est, an autem totum Synedrium modo legitimo tempore festi, nocte intempesta, fuerit coactum, hactenus probatum fuisse vix videtur, nec certe eo tempore tumultu fuisse totum populum ad judicium de Christo ferendum convocare, cum probe constet ex Scriptis Evangelicis ipsos proceres noluisse primo consentire, ut Servator noster tempore festi ad publicum producatur judicium, ne forsitan tumultus fieret in populo, noverant enim Judæi, ingentem hominum numerum ex omnibus partibus terræ sanctæ, Galilæa præsertim, ad Festum Paschatis venturum Hierosolymam, ex quibus plurimi a Christo fuerant sanati, quique Sanctitatis & innocentiae ejus forent certissimi testes.

Habes heic Vir Clarissime brevibus verbis exposi an mentem *Analdi*, finem tandem prolixo

operi imponit exhibendo eruditas observationes de figura & materia Buccinæ, & multiplici ejusdem apud Judæos & Græcos usu: abolitum autem usum forensem buccinæ apud Judæos cum vastatione urbis Hierosolymorum statuit Vir doctus, & operi finem imponit. Hæc sunt quæ ad te perscribenda mihi videbantur, ut vobis constet, novam hanc explicationem in Helvetia vestra cœptam, in Italiā translatam, hoc tamen facto discrimine; quod *Ansaldo* circumcisum buccinatorem suscitaverit, quem *Altmannus* gentilem primo nobis proposuit. Plura jam quæ scribam nunc non habeo. Vale Vir Clarissime! & me ama. Scripsi Mediolani, Idibus Februarii CCCCCCL.



DIS.